

Sed, ne vera imago status religiosi manca remaneret, adnotare oportet hoc eodem tempore incepisse immigrationem schismaticorum (orthodoxorum) in occupatas Croatorum terras. Antea eorum influxus in rebus Status atque fidei nullibi croaticarum regionum sentiebatur, quia paucissimi numero erant, idque in limitrophis regionibus Statui serbico, in orientali scilicet parte Bosnae ad fluvium Drina et in terra Zachlumiæ.⁹⁷ Dum nunc cum Turcarum expeditionibus turmatim immigrant in devastatas regiones croaticas permiscentes se residuo populo catholico, quorum multos tristissimis illis temporibus ad suum ritum et schisma converterunt.⁹⁸ Tali modo autem jam post unum saeculum oppugnationis Bosnae numerosiores catholicis immo et ipsis mahumetanis fiunt, ideoque suo tempore elementum praedominans in terra. Eorum vero virus contra catholicos fere ex omnibus conservatis documentis clare patet; nominantur enim, magis quam ipsi Muhametani, inimicissimi catholicae fidei.⁹⁹

*

Omnia haec breviter exhibita praemittere oportebat, ut statim nobis specialis missio inquisitoria Provinciae Sclavoniae ac postea pastorale munus Vicariae Bosnae appareret. Etenim, opus suum incipiunt ut inquisitores haereticae pravitatis, praesertim in Bosna, ubi fortem communitatem religiosam sub nomine Vicariae bosnensis creant; in defectu cleri saecularis officium curae pastoralis in se suscipiunt; idem faciunt postea in aliis regionibus a clero saeculari ob metum Turcarum relictis; in angustiis temporum aucti numero e propria provincia excurrunt ut missionarii

⁹⁷ Draganović K., Kat. Crkva u Bosni i Hercegovini, 11; Hudal, o. c. 4—5, 11 sq.

⁹⁸ Hudal, o. c. 11 sq, 38 ss, 49 sq, 56 ss; quoad transitum catholicorum ad orthodoxam (schismaticam) ecclesiam vide optime exaratam dissertationem Draganović K., Massenübertritte von Katholiken zur »Orthodoxie«, in *Orientalia Christiana Periodica*, I—II (1937), 181—232; III—IV (1937), 550—599.

⁹⁹ Cfr. allegatos fontes sub nota 96 et Draganović, Massenübertritte, sub titulo »Die Verfolgung der Katholiken von Seiten der orthodoxen Hierarchie«, in *Orientalia Chr. Per.*, III—IV (1937), 558 ss.